

180  
Honras a la Magestad

Nobilitas primum gessit, quod pectore cessit:  
Æternum pietas non peritura tulit.

A L I V D.

**C**lauditur hoc tumulo mundi quæ rexit habenas,  
Immortale decus sanguinis Austriaci.  
Illa parens Regum, coniux, & filia: quorsum?  
Qui legis vt clames: Tutius ergo nihil.

AD TVMVLVM MARIÆ  
Augustæ epitaphium.

**I**nduperatorum Maria vxor, filia, mater,  
Digna ter imperijs, ter lachrymanda iacet.  
Qualis amor cæli? quæ frontis gratia? quantus  
Hoc tumulo tegitur nobilitatis apex?  
Hic latet Europæ lux vnica, & vnicus ales;  
Hic iacet Occidui, gemmaque, flosque soli.  
Par magno pietate patri, magno que Philippo  
Vna sacræ fidei par in amore soror.  
Proh quàm atrox fuit ausa nefas mors inuida! terris  
Quale decus, quantum nox tulit vna iubar!

AD AVGVSTAM MORIEN-  
tem, quæ Societati Iesu amplos  
donauit redditus.

**S**enserat Augusta extremum iam funus, & agra  
Corpore, mente potens, corruit ante crucem.

Soluo,

Soluor, ait, membris; Superùm si soluar in oras,  
 Non mors ista, foret nescia vita necis.  
 Ductor eas si, Christe, via, felicia preдам  
 Littora, quis tantopraeside perdat iter?  
 Ergo abiens terris, morientis fata reuoluam,  
 Certior est mortis mors tua norma meae.  
 Expirans animum Patri das, cetera terris,  
 Promptior ad Superos his sine cursus erat.  
 Haud secus excedens animum tibi, Christe, remitto;  
 Quem tua si seruet dextera, tutus eat.  
 Cetera, quae cælo non fas inducere, saltem  
 Cùm tibi non possim reddere, reddo tuis.  
 Seruet opes qui Nomen habet de Nomine Iesu:  
 Haeres pro Christo nobile Nomen erit.  
 Sic benè partitum quidquid simul esse nequibat,  
 Ipse animum Christus, cetera Nomen habet.

## EPITAPHIUM.

**M**ausoli irrisit miracula vana sepulchri  
 Caesaris vna simul filia, nupta, parens.  
 Cælo inhians aeterna parat, mortalia damnat,  
 Sic post fata gerit grandius imperium.

## A L I V D.

**V**ltro humili post fata placet requiescere busto,  
 Cui vana in vita gloria displicuit.  
 Imperio maior terrarum Herois Olympum  
 Sic intras, meritis sat decoranda tuis.



# Honras a la Magestad

## AD MARIAM AVGVSTAM.

**F**ortuna & virtus in te Maria Austria, fertur  
Vincla recusantes complicuisse manus:

Vtraque diua potens: non vtraque iungere vires:

Illa solo, hæc cælo porrigit imperium.

Esses in terra semper, vel semper Olympo,

Altera diua tibi spreta negaret opes.

Hic consultus amor (quis amore peritior vnquam?)

Consilium in versus contulit ille duos.

Vinat, vt Imperium fortuna Augusta gubernet;

Vt teneat cæli sceptrum, petat Superos.

## E P I T A P H I V M M A- riæ Augustæ.

**H**ospes resiste paululum, & lege in busto  
Quas exaratas literas habet marmor.

Tunc si tenebis lachrymas, idẽ es marmor.

Hic bellicosę Hispaniẽ micans vesper,

Hic clarus Austriẽ dies, iubarque orbis

Vtriusque, mortis conditum latet nube.

Lapis, o lapis, quantas breuis recondis spes!

Maria Cęsarum aureum genus ducens

Iacet, iacet heu parens, & vxor, & nata;

Delicię, amorque duplicis Philippi vna:

Hinc gratiarum stat triplex chorus mœrens,

Hinc veste scissa sanctitas sibi fato

Sceptrum,

Scep̄trum, coronam, purpuram gemit raptam.  
 Inuideat æther ne solo? solum seruat  
 Inane corpus, spiritus tenet; cœlum.  
 Hospes recede, sat tuis oculis debes.

## MARIAE AVGVSTÆ.

**M**atrona magni filia Caroli,  
 Matrona coniux Cæsaris inclyti,  
 Virtutis illustras trophæis  
 Maior auos, aquilas auorum,  
 Fœcunda regnis armipotentibus,  
 Fœcunda summis fœmina Regibus,  
 Europa quos supplex adorat,  
 Roma potens, dominusq; Tiberis.  
 Ad astra quanuis te tua dignitas  
 Attollat ingens, & decus Imperi,  
 De sede regali volentem  
 Mens humilis miseris adæquat.  
 Mœrens dolentum luctibus indoles,  
 Sentis dolores, absq; doloribus,  
 Grauesq; morbos, quos benigna  
 Esse tuos pietas peregit.  
 Largiris aurum fluminis in modum,  
 Et rite cunctis sedula prospicis.  
 Es mater affectu tuorum  
 Culminibus licet Imperatrix.  
 Non celsa summo culmine dignitas  
 Causa est ruinæ, claraq; purpura.

## Honras a la Magestad

Quo te magis tollunt honores,  
Plus humilis fieri laboras.  
Ostentat ardens purpura Principes  
Distincta gemmis dulcè nitentibus,  
Mensæq; baccati cultus,  
Imperij decus, & paratus.  
Pro dite gemma, pro Tyrio sinu,  
Te monstrat orbi mira modestia,  
Monstrat verecundi pudoris  
Aurea lux, niueusq; candor.  
De fronte princeps plus piâ nosceris,  
Quàm de superbo culmine Cæsarum,  
Non veste notescis, nec auro,  
Eximia probitate nota es.  
Verè vocaris filia Caroli,  
Verèq; magni filia Principis:  
Cum vita notescit, pudorq;,  
Exuperas cumulos niuales.  
Subiecta duris gens Aquilonibus  
Beata gazis, vberet, & bonis,  
Plus diues exemplo putatur  
Esse tuo, grauibusq; factis.  
Indulfit illi non alias polus  
Tam large abundans muneribus suis,  
Quâ quâdo Germanis supremo  
De folio dedit intuentam.  
Fulgens superbo murice Cæsarum  
Tam rara virtus est tua scemina,  
Quàm



Quàm rarus apparet per Ortus  
 Assyrios, roseosq; Phœnix.  
 Despectat æquus desuper Arbitr,  
 Addat superbas vt tibi laureas,  
 De patre quas Orco fugato  
 Cum socijs rapis absq; ferro.  
 Dulcis voluptas, Hydra velut ferox,  
 Quæ de cruenta cæde renascitur,  
 Truncatur, & corpus volutat  
 Impatiens necis, & doloris.  
 Fastus quærentur, versaq; regia,  
 Cernit theatra quod noua, principe T  
 Mutante matrona paratus,  
 Mente humili subeundo culmẽ.  
 Non arma cerno, castra nec horrida,  
 Sed nec minacis Palladis ægida,  
 Cerno triumphales coronas,  
 Cerno decus, titulos, trophæa.  
 Ductorq; Pluto cum grege languido  
 Fugit cauernas victus in igneas,  
 Dolet triumphandi dedisse  
 Materiam, celebresq; palmas,  
 Plorate manes fletibus igneis,  
 Quos vna inermis fœmina deiicit;  
 Matrona tam multos minaci  
 Vna supercilio trucidat.

# Honras ala Mageftad

## HESPERIA DEPLO- rat Auguftæ mortem.

Sic mœfta plorans dixit Iberia,  
Coniux superbi Cæfaris occidit,  
Materq; supremi Rodolphi  
Morte obita iacet Imperatrix.  
Columna prorsus maxima concidit  
Amota mortis viribus æneis,  
Qua nixa regnabat per orbem  
Tergeminum pietas triumphās.  
Lapfa est potentum gloria Principum:  
Quis absq; fletu talia proferet?  
Ingente collapsum est ruina  
Hesperix columen superbæ.  
O mœfta quantum perdis Iberia!  
Quot damna damno suscipis vnico!  
Quot mœfta clades! quotq; in vna  
Præcipientes pateris ruinas!  
Iactura summa est perdere Principem  
Ipsos docentem viuere Principes,  
Modesta quæ luxus coercet,  
Inter cæpes sine labe viuir.  
Quæ nec tumescit culmine gemmeo,  
Quæ nec superbit stémate Cæsarum,  
Nec patre, nec nato, viroq;  
Cæsaribus, neq; fratre magno.

Censura cuius vita sit omnium,  
 Emendat orbem quæ sine viribus,  
 Aurumq; regalesq; gazas  
 Spernit ouans, pedibusq; calcat.

Quæ sæcla factis efficit aurea  
 Fulgente vita, moribus aureis;  
 Interq; sæclorum tenebras  
 Fax rutilans veluti coruscat.

Factis honoret quæ sua culmina,  
 Addat rubenti lumina purpuræ  
 Maiora, præclaris supremo  
 Imperio decus addat actis.

Cuius decoro lingua silentio  
 Reges profari perdocet inclytos:  
 Sermone quæ nullo magistra  
 Erudiat faciendo mundum.

Quæ dona donet munifica manu,  
 Conuexa supra substruat ætheris,  
 Aulamq;, regalesq; sedes  
 Cæsareo fabricetur auro.

Quæ de superbo culmine Cæsarum,  
 De stirpe clara, deq; palatijs  
 Quæ de potestate, & corona  
 Astra gradus facit ad suprema.

Imposta moles quam licèt obtegar,  
 Hanc fama pennis euehit aureis,  
 Quæ Tibris it flauens, Eous

Quæq; fluens rigat arua. Ganges.  
 Halent



## Honras a la Mageftad

Halent odores cuius ab ofsibus,  
Qui rara vincant balsama Principum,  
Flammaq; Phœnicis superbi  
Assyrios populante nidos.  
Cuius sepulchri more nouo modus,  
Plus celsus extans, quo minus eminēs,  
Infana Mausolæa vincit,  
Pyramidas, Phariosq; fastus.  
Quam pingo prauè nō bonus artifex,  
Doctas Apellis quæ meruit manus,  
Virtute talis, quæ perempta  
Morte ruit, fuit Imperatrix.

## MARIA AVGVSTA LOQVITVR.

Non me decipiunt lumina purpuræ,  
Nec regnum tenero flore fugacius,  
Non me decipiunt regia culmina,  
Summi nec nota verticis.  
Noui, diuitiæ quàm fugiant citò,  
Regni quamq; breues sint apices, scio,  
Versari imperij fat scio gloriam  
Rapti turbinis in modum.  
Suspiro madidis roscida fletibus,  
Ardere adspicio dum vaga sydera,  
O quantum, memoro, lucida sydera,  
Celatis modò gaudij!  
Affecto quidquid, quidquid & appeto,  
Clausum sydereâ se de reconditis:  
Spes,

Spes, quæ non humiles ducit ad exitus,  
Præfixa est ibi vt anchora.

Inter non faciles pendeo turbines,  
Seuos inter agor lubrica vertices,  
Vitæ sustineo certa pericula,  
Certi nescia funeris.

Affecto nimium tuta quiescere,  
Promittunt requiem solaque Sydera;  
Non me turbinibus purpura liberat,  
Non me scepra periculis.

Securã faciam me super æthera,  
Ne perdam titulos, scepraque gemmea,  
Ne perdam solium, diuitias, decus,  
Supra Sydera transferam

Reges cuncta supra Sydera transuehant,  
Rebus consilio qui bene prouident,  
Cælum quidquid adit, non habet exitũ,  
A Eui nec varias vices.

Res est Imperium lubrica regium,  
Casus Imperij culmina sustinent,  
Versat cuncta mouens fors variabilis,  
Regnorum rota voluitur.

Magnis Imperijs est suus exitus,  
Procumbunt subitò, more cadauerum,  
Quod si fors tulerit, seriùs occidunt:  
Sors est vtraque flebilis

Casus purpureis Regibus accidunt,  
Regnantum variant scepra frequentius



## Honras à la Magestad

Ipsa præcipitant culmina principes,  
Tollunt in melius nouos.

Ne quando instabilis me rotet orbita  
Regnantem patrio culmine Cæsarum,  
Ne quidquam valeam perdere gloriæ,

Heu de diuite copia;  
In cælum titulos transfero regios,  
Vt nostrum miseri diminuunt onus,  
Cælo diuitias pauperis indigi  
Augustas manus inferat.

### *Iterum loquitur.*

**N**emo de saxo mihi signa fingat,  
Nolo famosos Phydæ labores,  
Nostra non fingat Polycretus ora  
Nobilis arte.

Non Apellæo capior calore:  
Nolo mausoli tumulos superbos,  
Nolo regnantum Pharios labores,  
Respuo moles.

Signa sunt nati speciosa matris;  
Signa sunt pulchris potiora signis:  
Filij sat sunt monumenta claræ  
Clara parentis.

Pro sacra certat pietate patrum  
Præferens matrem meus Imperator;  
Turbar audito sine Marte crudo  
Nomine Turcas.



Quin & Astræam vitijs fugatam

In solum summo trahit ex Olympo;

Illa blanditur, dare vult per oras

Iura relictas.

Instat Alcidaæ meus Imperator,

Monstra nodosa ferit atra claua,

Colla monstrorum fera perfidorum

Truncat, & artus.

Parcus humani nimium cruoris,

Sæculis pacem parat incruentam,

Et suo terris requiem periculo

Comparat armis.

Nostra Matthias meus est imago,

Iussa Germani celer executor

Perficit, duro ferit ense Turcas

Ore micaces.

Quid minæ profunt, faciesque torua,

Si manus cerno minus efficaces?

Sæpius victi quid operta gignunt

Corda tumores?

Ora si pallor tremebunda pingit,

Quid iuuat stridor, fremitusque seuus?

Castra seruat malè, castra Lunæ

Horrida signis.

Redditis campos roseos cruore,

Filijs palmas datis, & triumphos;

Ora pro clavis spolijs refertis

Plena pudoris.

## Honras à la Mageftad

Nemo mi vultus elephante fingat,  
Est fat Arneftus fimilis leoni,  
Qui ferum mactat, laceratque Turcam  
Fortiter enfe.

Nemo me fuluo fabricetur auro,  
Quam vocat matrem titulis auorum  
Inclytus natus, fua quem trophæa  
Patribus æquant.

Mole pro vafte Pharij laboris  
Magnus Albertus fatis eft parenti,  
Frænat audaces modò qui rebelles  
Marte cruento.

Præfero fignis, mea quòd propago  
Pro fide facra vigil elaborat  
Patre pro fummo, Superùmque Rège,  
Qui regit orbem.

Lætor exultans, fimul illud addo,  
Non potefte Cæfar, melius locafte,  
Plus nequit pulchrè pofuiffe proles  
Noftre labores.

Dulcis vt nectar mihi Margarita,  
Chara plus Indis mihi margaritis,  
Quod patris calcaftitulos, auorum  
Quodque triumphos

Quodque Francifcum fequeris parente,  
Pauperis vitæ genus emulata,  
Præfero fignis genitrix eburnis,  
Præfero gemmis.

Plus



Plus mihi saccus pretiosus auro  
Est tuus, claro superaddit ostro  
Qui nouum vilis decus, & triumphis

Addit honores.

Deerat hic palmis cumulus superbis,  
Deerat hoc solum titulis auitis,  
Saccus vt clarum decoraret ostrum

Vilis aurorum.

**PLORAT HESPERIA**

*famulorum orbitatem.*

**S**ic fatur lachrymans tristis Iberia:  
Augusti cecidit filia Caroli:

Seclis nil potuit collachrymantibus  
Euenisse dolentius.

Ignes Syderei condite lumina:  
Hoc poscit rigide fortis acerbitas,

Si Titan radios fas fuit abdere,  
Funus lugubre postulat.

Caligo populos nunc licet occupet,  
Vt luctus foueat nox tenebrosior,

Nox est funeribus tristibus aptior,  
Sed lux aurea gaudijs:

Pre desiderio Principis auree,  
Plorauere suis monstra cubilibus,

Fuderunt lachrymas pignora tigrinum,  
Duris tacta doloribus.



## Honras a la Mageftad

En armenta fuis partibus abftinent,  
Nec tangunt auide dulcia flumina,  
Oblita & vitrei nectaris, & dapis

Tanti conscia funeris.

Nil mirū est, famulos fundere lachrymas  
Mæftos pro domina, Principe pro fua:  
Quas fundunt oculis monstra fluentibus

Lugubri in nece Principis.

Matrona est lachrymis digna perēnibus,  
Instar non dominæ, quæ grauis imperat,  
Mulcet sed placidis dulcis amoribus

Vt mater fua pignora.

Quæ gefsit dominę nil nifi nomina:  
Affectu genitrix extitit optima:  
Mitis crediderat tot fibi filios,

Norat quot fibi fubditos.

Languescunt famuli, fedula Pœonas  
Mittit, follicitent qui medicamina:  
Exquiritque, habeāt quomodo languidi

Princeps blanda frequentius.

Matris, non dominæ talia quęrere:  
Mœrentes famuli fundite lachrymas,  
Primam, vel fimilem non habet alteram,

A Egris quę bene profpicit.

Incaffum famuli flendo requiritis  
A Equalem, aut fimilē pectore principē:  
A Equalem, aut fimilem pectore principē

Nunquam fæcula proferent.

Nec tantum genita est de patre Carolo:  
Tam durus manibus qui tamen extitit,  
Quam blandi, & placidi est filia pectoris  
A Egris blanda iacentibus.

*P L O R A T H E S P E R I A*  
*orbitatem pauperum.*

**D**Ecessit miseris mater egentibus,  
Vndates inopes fundite lachrymas,  
Fundunt rite pias pignora lachrymas,  
Dulcis cum moritur parens.

Dulcis fecit amor vos sibi filios:  
Ut dulcis genitrix vellera prębuit,  
Ne tempus gelidum corpora lederet,  
Ne Sol flammeus æstibus.

A Egris ingenio rite benignior  
Diuisit placide densa numismata,  
Selegit faciles arte Machaonas,  
A Egos qui citò visitent.

Non desunt epulę, nec medicamina  
A Egris apta, petit quęque necessitas;  
Paupertas opibus visa opulescere,  
Dum princeps pia viueret.

Paupertas inopem se sine principe  
Agnoscit, tulerat quę mala, iam timet,  
Non est iam miseris portus idoneus,  
Ad quem confugiant citi.



851 Honras a la Magestad

Pupillos placido quis capiet sinu?

Princeps sacra potens queis fuit anchora,

Duplex officium cui pia præstitit

Patris, matris & optima.

Dotabit teneras quis modò virgines

Donando, liceat quo bene nubere?

Quod Princeps auide sæpius egerat

Nymphæ bis bona pauperi.

Orbis coniugibus prouida matribus

Princeps consuluit muneribus suis,

Vti pro quibus est visa potentia,

Matres quod poterant minus.

Annosis senibus dextera profuit,

Dando munificè Principis aurea:

Visum est & senium tunc iuuenescere

Matris muneribus pia.

Gangem exuperans dextera Principis,

Nec non Oceano patre profusior,

Cum donaret opes, defuit huic nihil

Quod donaret egentibus.

Cum plus munifice dona profunderet,

Parebat mulier tunc opulentior,

Atque augebat opes Regia largitas,

Dando munera prodige.

Non est in Lybia vena opulentior,

Non gazis Oriens ditior Indicis,

Quàm sit munifici dextera Principis,

Quæ dat prodiga munera.



*Augusta loquitur.*

**A** Audite matrem dulcia pignora,  
 Audite, felix quis feror editis,  
 Responſa reddam, quæ parentis  
 Dictat amor, potiora regnis.

Quem conditorem nouimus omniũ,  
 Qui dona fundit munifica manu,  
 Primumq; , ſupremumq; Regem  
 Suppliciter pietas adoret;

Cum Patre natum, qui creat omnia,  
 Creatâ ſeruat cum Patre prouidè,  
 Grauantè qui ſumpta iacentis  
 Carne hominis pius intrat orbè,

Delicta mundi qui nece diluit,  
 Vitamq; mundo morte ſua reddit;  
 Cum noſtra libertas ab hoſte  
 Erepta fuit roſeo cruore.

Lædenda culpis tanta benignitas  
 Non eſt, habenda eſt gratia pro nece;  
 Qui lædit autorem bonorum,  
 Bis maculat ſua corda culpis.

Inuictus armis Carolus extitit,  
 Eſtote tales, bella capeſſite  
 Tonante pro ſummo, fideq; ,  
 Parturiunt fera bella pacem.

Vita niuali, pectore gemmeo,  
 Eſtote gentis nobilis æmuli,

## Honras a la Magestad

Portenta sacrorum putantur  
Degeneres ab auis nepotes.  
Dulces modestè viuite li beri,  
Exempla profunt aurea principum,  
    Queis mira mutandi potestas  
    In melius mala secla mutant.  
Infertur hosti vis adamantina,  
Cum dona fundit dextra frequentia,  
    Et dona perfringunt rebelles,  
    Quando etiam fera saxa frágunt.  
Non ponat arces dextera aheneas,  
Nec claustra ferro ferrea substruat,  
    Non ære florentes cateruas  
    Arma trahat sub ahena Princeps.  
Plus Marte sæuo, plus duce Martio,  
Plus bellicosa Palladis Ægida  
    Plus arce, plus ferro minaci  
    Larga manu tegit imperantes.  
Auertat ætri hæ maximus Arbiter  
Offensus vnquam ne sua lumina,  
    Obtestor à turmis egenis  
    Non oculos remouete nati.  
Decet superbos dextera Principes  
Propensa semper munus ad aureum;  
    De stirpe sublimi profecti  
    Munifice date dona nati.  
Necessitatem blanda benignitas  
Exquirat audax, quæ latet abdita.

Bis donat, offert quisquis aurum  
Ingenuo miserans pudori.

Odi tumentis signa superbiæ;  
Odi, tumescit quidquid inanius.

Odisse vos hortor Tonanti  
Voce supercilium superbum.

Iras lacescit numinis igneas  
Elata dura fronte superbia.

Tonantis irati propinquos  
Mens humilis prope sopit ignes.

Turcæ propinqui finibus iminent,  
Se ferre iactant fulmineos globos,

Et fronte pugnaces minaci  
Arma fremunt fera mugiendo.

Armabo inermis scœmina pectoris  
Pectus virorum belli potentium,

Armabo non ferro, nec ense,  
Nec clypeo, valida nec hasta.

Vincetis hostem, non dubia est fides,

Vincetis hostem, dulcia pignora,  
Si reddit audaces, & armat

Ipsè timor pavidus Tonantis.

Timor timores numinis eripit,

Ad arma Martis pectora roborat,  
Et inter armatos, tonantis

Plus pavidus, minus extimescit.



# Honras a la Magestad

## In obitum Augustę.

**F**ata quid exultant vano delusa triumpho?  
Ceu mors Augustam sub sua iura ferat.  
Quid foret, infelix, si Augusta occumberet, orbi?  
Quod sine Luna nox, quod sine Sole dies.  
Quin etiam mors, Augusta pereunte, periret,  
Quis tunc, in quem mors sumeret arma, foret?  
Non moritur, quæ pauperibus vitæ extitit au. or,  
Nec, quæ nescit opes condere, condit humus.  
Donat opes, quibus ipse suum dat nomen Iesus,  
Donat, & vsuram munere lucis emit.  
Nunt tot habet vitas, quot alit satis amplius egenos  
Redditus, hac vna, mors semel, arte perit.

## Ad tumulum eiusdem.

**D**ulces exuias vt quid commune sepulchrum  
Contegit, & tumulus cur caret iste feris?  
Austriadas huc mitte aquilas, Rodolphe, columbæ  
Non benè crudelis pignora seruat auis.  
Busta, Philippe, tui cur non subière leones?  
Quæ iacet in tumulo blandior agna fuit.  
Susciperent homines Regalia fulcra? clientum  
Non humeros pressit, sed magis auxit opes.  
Aligerum fuerat pondustam nobile, mentem  
Sed Mariæ in cælum cuncta secuta cohors.  
Ergo rudis tegat ossa lapis felicia, quando  
Nulla reperta fuit pndere digna manus.

Scilicet

*Scilicet est animo corpus simile; ille coronas  
Calcet, & ornatus despicit hoc tumuli.*

M A R I Æ A V G V S T Æ,  
ceteris Augustis in publica & priuata vita  
virtutis exemplo præeunti.

**I**mpério dignos Augusta discite mores:  
Floreat ut vestris moribus Imperium.  
In Maria vobis virtutum fulget imago,  
Qualem nullatulit Regia, nulla feret.  
Ostentare suos olim nescibat honores;  
Nunc vetus optabat dissimulare decus.  
Non minus aduersis, quam rebus leta secundis:  
Æqua malis, nunquam rebus iniqua bonis.  
Immemor Imperij, fortunam oblita priorem,  
Visa sibi in parua grandior esse domo.  
Quam benè tractauit (dum fors dedit) orbis habenas,  
Tam benè priuatæ sortis obiuit onus.  
Subdidit Imperium sibi magnum publica: maius  
at priuata sibi subdidit Imperium.  
Publica nam seruos, at se priuata subegit;  
In dominam à seruis transtulit illa iugum.  
Sic maior priuata fuit, quam publica; quanto  
Quæ domina est, seruis altior esse solet.



# Honras a la Magestad

MARIE AVGVSTÆ COLLE-  
gij Societatis fundatrici.

**M**ausolea locant morituri grandia Reges,  
In quibus æternum condita membra silent.  
Pro Mausoleis collegia construis, vnde  
Vox, Augusta, tuas edita clamat opes.  
O quàm dissimiles Regum labor exit in vsus?  
Regibus vrna fuit cura, sed ara tibi.  
Scilicet illorum sepelitur fastus in vrna:  
Debetur meritis ara sacrata tuis.

MARIE AVGVSTÆ  
sui recordatione apud nos sem-  
per victuræ.

**O**ccidis, inque tua Dominatrix occidis aula:  
Vivis, & in nostro limine vivis adhuc.  
Quam tibi longænam rapuere palatia vitam,  
Hi, quos fundasti, restituere lares.  
Aula sepulchrales, iaceas vbi, condidit urnas:  
Dant tibi, vbi vivas, limina nostra torum.  
Dic in Regali cur mortua diceris aula?  
Cur vna in nostro diceris esse lare?  
Nempe in Regali tua desijt æde potestas:  
In nostra pietas incipit esse tua.

D. AVGVSTA.

VNa mihi in toto terra fuit hora theatro,  
 En rerum domini quam breue tempus habent.  
 Hanc ego personam gessi me Cesare dignam,  
 Augusta ad thalamos, Austria, ducta tuos.  
 Me mirata suam coluit Germania matrem,  
 Perpetuam votis quam cupiebat, eram.  
 Hesperiam veni tædæ viduata iugali,  
 Disceret vt mores aula paterna meos.  
 Quod pietas ageret, si se daret ore videndam,  
 Hoc egi, Hispani nec negat ora soli.  
 Nunc ago personam meliore, Augusta, theatro,  
 Astrifera æterno tempore scena mihi est.

AD D. AVGVSTAM.

Dormis tu quoque, dormiunt vt illi  
 Terrarum sola qui metu fatigant,  
 Dum spirant anima insolente viui;  
 Verùm cum tumulos habent, quieti  
 Nullum sollicitant, fugantq; nullum  
 Et in marmora literis arata  
 Æuo nomina proderent sequenti,  
 Interre gremio abditi laterent.  
 Neptuno lapides latent vt imo.  
 Isto mortua more conticescis,  
 Nata ex Cesare, Cesarisque coniux,  
 Et que pignora Cesari dedisti.

Responde



## Honras a la Magestad

Responde soror inclyta Philippi,  
Ex quo patre nepos tuus, volentem  
Hispana ditione frenat orbem.

Audite, ò proceres, genusque Iberum,  
Responsum Domine notate cauti,  
Non, inquit, tumulo obruenda gessi;

Feci que memores loquentur anni.  
Vos, mortalia grata queis fuerunt,  
In lethi tenebras abite toti.

Qui vite dedimus nihil superbe,  
Spectrum corporis hoc inane preter,  
Omni post cineres canemur æuo.

### MARIÆ AVGVSTÆ.

**I**Rrue falce minax, ò mors nocitura per aulas,  
Et caput insanis ictibus omne seca.

Nec te contineat quæ Casare nupta, mariti  
Post obitum cælo viuere digna fuit.

Non illam inuenies montana è germine pini,  
Quæ semel à ferro tacta secante perit.

Quercus erat, cæsis quæ ramis incipit, ingens,  
In noua mirandis secla viuere comis.

### MARIÆ AVGVSTÆ patientia.

### IPSA LOQVITVR.

**N**on gemma fulgens, non opulencia,  
Regumque falces, & diademata,

Fastusq;

Fastusque, gēantesque mensæ  
Efficiunt animos beatos.

Facit beatos quæ super æthera

Amore constat, tum patientia,

Actisque virtutum decoris,

Relligio, pietas, fidesque.

Amore captor dulciter igneo;

Et facta laudo, sed patientiam

Mirata fulgores, duobus,

Illius & decus antepono.

Nunquàm superbis Imperijs deest

Quid ferre possint, materies abest

A Rege nunquàm, vel Dynasta,

Si properent patienter uti.

Vel mors lacepsit, lingua vel inuida,

Vindicta ferrum vel malè prouocat,

Vel damna, fortunæque læsa,

aut Stygij rabies draconis.

Pallente vultu terribiles metus,

Voranda duræ sortis acerbitas;

Regumque magnorum paratæ

Cladibus insidiæ latentés.

Delectat horum me tolerantia,

Horumque quicquid durius accidit,

Oblectat optantem beatæ

Me magis ambrosiæ sapore;

Indigna letho pro patre numinum

Hos per beatos æstimo cœlites;



# Honras a la Magestad

Pro Rege qui prompte Tonante

Fortiter occubuerè ferro.

Non blanda posco sint mihi gaudia,

Sed caussa duræ sit patientiæ,

Heroas ingentes ferendo,

Atque Deum simul emulabor.

Procul voluptas sit malè noxia,

Ad sint dolores, & tolerantia,

Perferre, sat dulcis voluptas,

Dura necis mala, dura vitæ.

Semel supremum raptus ad æthera

Arcana Paulus respicit abdita,

Et ter beato sempiterni

Ore semel fruitur Tonantis.

At sapè perfert vincula, carceres,

Vim, lora, plagas, probra, sitim, famem.

Merfusque Neptuno frementi

Spumiferum bibit ore pontum,

Thaboris alto culmine fulgurat

Semelque Iesus lumine gloriæ,

Ortusque pœnis est abundans,

Vita etiam, grauiusque lethum.

Complexa blandis pignora brachiis

Augusta virgo non sine maximis

Vixisse tormentis refertur,

Dùm memorat Simeonis ensem.

Quo quis Tonanti plus sit amicior,

Plus dura summo pro Patre sustinet

Tormenta

Tormenta, dando dulce numen  
 Cum Monstrat ouans tacitos amores.  
 Mundi magister se dare dulcius  
 Nil posse amicis dulcibus estimat,  
 Tormenta quàm vitæ feuera,  
 Lecta suæ fera, lecta morti.  
 Angusta rorat sanguine semita,  
 Iuere Diui qua super æthera,  
 Hac ibo, deducit voluptas  
 In Stygia, at asperitas in astra.

## MARIAE AVGVSTÆ.

PHœnica cerno quæ generosius  
 Ignescit inter flâmiferos globos;  
 Dedere non tractus Eoi  
 Materiam, casiamque flammis.  
 Europa blando parturijt sinu  
 Phœnica magno de patre Cæsare,  
 Non iure naturæ per ortus  
 Hesperijs generatur oris:  
 Quæ flamma miris flagrat odoribus,  
 Mittente cœlo desuper aduenit,  
 Ad alta sublimes ad alta  
 Sydereâ reuolant fauillæ.  
 Plus penna lucet, quo magis æstuat,  
 Plus dat nitores nobilis igneos,  
 Mirata tellus hos, libenter  
 Deserit Assyrios odores.



## Honras à la Magestad

Succendit ignes magnificentia,  
Quæ cuncta donat prodiga numinis,  
Quæcumque fecundè profundunt  
Oceani vada, terra, cælum.

Inflamat ignes prodiga gratia,  
Quæ prima multo præuia munere  
Inuitat, & primos amores  
Sollicitat pia diligendo.

Plus flammam cygni tristior exitus,  
Mundum redemit, qui nece Regia,  
Fixisse quem corde elaborat,  
Quod perijt cruce fixus alta.

Vtque is cruoris prodigus occidit,  
Vitamque fusa cum nece perdidit,  
Ut cuncta constaret dedisse  
Corda graui terebrante ferro.

Vices amori reddat vt igneas,  
Sit grata vt agno pro nece Regia,  
Contenta non vna, frequenter  
Ardet amans iterare mortem.

Stant castra contra ferrea manium  
Phœnica contra bella frementium,  
Luditque conatus, & orsa  
Vis sacra dùm popular medullas.

Mors tristis arcus tendit aheneos,  
Ignis sagittas excutit igneas,  
Laborat incassum fremendo,  
Iura dolens fera perdidisse.

De carne raptat que caro laureas,  
 Cum monstra vincunt, mollia languidis  
 Dat terga cum mundo reuictis,  
 Quosque volunt fugiunt triumphos.  
 Non cedit armis ignea charitas,  
 Non cedit vmbri dira fremmentibus,  
 Insultat humano timori,  
 Calcat ouans fera scepra mortis.  
 A Rege felix omnipotentiam  
 Pollente Diuum eum petit, accipit,  
 Manesque, naturam, necemque,  
 Quo libuit facit ire nutu.

## MARIÆ AVGVSTÆ,

**M**atrona cœlum quod tibi diceret,  
 Responſa reddens certa ſalubriter,  
 Hoc ſponte demirante cœlo,  
 Ingenio peragis benigno.  
 Vultum ſerenat compoſitum quies,  
 Nil dicis vnquam, nil facis aſperum,  
 Non ſigna ſpectantur furoris,  
 Indomitæ procul ignis iræ.  
 Caliginofa nocte polus lateret,  
 Sub nube condit Sol decus aureum,  
 Nulloque perturbante caſu  
 Sunt eadem tibi ſemper ora.  
 Amanda virtus dulcis in hoſtibus,  
 Amatur abſens quæ ſine præmio,



# Honras à la Magestad

Allectat affectus, trahitque

Corda hominũ ad teneros amores.

Terrere possent quos tua dignitas,

Terrere possent quos tua culmina,

Ingensque maiestas, benigno

Gratia conciliat favore.

Non læsa quenquam lædis acerbius,

Nullique nosti blanda resistere,

Blandique, mansuetique mores

Nectaris exuperant saporis.

Euincis omnes officijs pijs,

Tibi que larga est munificentia,

Qualem vel innata supremus

Carolus exigeret superba.

Te dante, que non pauperies fugit?

Talenta nescis fulua recondere,

Gazasque communes egenis

Imperij facis esse turmis.

Dulces amores præfero copijs,

Quas liberalis dextera porrigit;

Vincuntur affectus per ignes

Quos teneræ generant medullæ.

Amor paratur dulcis amoribus,

Plané est rigenti marmore durior,

Quicumque amâti non amorem

Reddit amâs, similemque flâmâ.

Vis nosse philtum non malè noxium,

Sed temperatum dulciter ignibus,

Opectus

O pectus humanum, memento  
Sicut amaris amare amantem.

## ALIVD EPIGRAMMA.

**M**antua me genuit, mété donauit Olympus,  
Hanc eadem Superis Mantua restituit.  
Ergò iure sibi repetit modò Mantua corpus,  
Extremo vt Superis tempore restituar.

## EPITAPHIUM.

**H**ic iacet Austriadū splendor sub paupere saxo,  
Indupetatorum Filia, Sponsa, Parens.  
Magna quidem magnis titulis, sed maxima tantis  
Quod præstans titulis se nihil esse putat.

AD MARGARITAM DE  
*Augustæ matris obitu.*

**Q**uæ te vis Superū dura inter claustra coegit,  
Et dedit in rigido tegmine delicias,  
Illa eadem titulis mundoque inimica perem.  
Tunc Augusta parens est tibi visa mori.  
At nunc quæ quondam fuerat tibi mortua, viuit:  
Nacta genitricem es, quam (puto) perdideras.  
Iam tutò mater, fas est tibi dicere, curas  
Partiri salua religione potes.  
Iam licet amplexus velle intentare parenti,  
Et matrem ingenua voce vocare tuam.



238 Honras a la Magestad

Nam quoties de matre tibi mens lægra loquetur,  
De sponso Christo tum quoque oportet agat.  
Quos simul vnus amor cœlesti in sede locauit,  
Quî tua mens vnquam Margari dissociet?

AD AVGVSTAM.

**C**vm decus Austriadû, mors importuna, tulisti,  
Fœdasti Imperium, qua patet Austriadum.  
Fœdasti vastis totum prope finibus orbem,  
Scilicet Eoas, Hesperiasque plagas.  
Theutonicos lógè populos, Morinosq; Scythasq;  
Quosq; rigat tractus Ister Hyperboreos.  
Vtramque Hesperiam, tum quę stridentibus altè  
Eminet equoreis insula cincta fretis,  
Vsq; adeò magnû est, inimica potentibus armis  
Tantum, Parca, tuis succubuisse caput.

E ADEM AVGVSTA LOQVITVR.

**R**eginâ Hesperijs, natosque in Regna nepotes,  
Et Regem Belgis, deliciasque dedi.  
Reginam Gallis peperî, columenque piorum,  
Et Regis de me scepra Polonus habet.  
Imperio, Germane, tuò caput edidi, & ipsis  
Fulmen Hyperboreis, præsidiumque iugis.  
Ast hoc supra alios titulos me nomine iacto,  
Quòd Christo Spôsiam, connubiumque dedi.  
Nempè parum fuerat terris dare iura subactis,  
Dulce nisi in magnum ius foret vsque Deum.

Hos

Hos mihi tu titulos, hunc Margarita decoam,  
 Hæc mihi tu potius nomina concilias,  
 Dum tibi coniugium terrenæ displicet vmbrae,  
 Nec placet humano succubuisse toro.  
 Nec mirum, nullus mortali sanguine cretus  
 Augusto sponfus pectore dignus erat.

EADEM AVGVSTA LOQVITVR.

QVidquid Cæsar erat, quidquid de Cæsare, totum  
 Aude, hospes, certo iure vocare meum.  
 Cæsaribus pulchro quidquid fuit vsque decori,  
 Cæsaribus pulchrum denique quidquid erit:  
 Hoc erit vsque meum, sicut fuit vsque meorum,  
 Vsque etenim illorum nomina sustinui.  
 Sed de Cæsaribus quidquid super vsque relictum est,  
 Claustra aperi tumuli, sum stupor, ossa, cinis.

EADEM LOQVITVR.

ET vita longos felici impleuimus annos,  
 Regibus & latum Cæsaribusque solum.  
 Pro veteri affulsit vitæ melioris origo,  
 Deque breui in longum ducimur Imperium.

ALIVD.

TE Induperatorem fateor, Deus optime, solum,  
 Induperatricis nomen inane mihi est.  
 Induperatricis recipe hanc sine viribus vmbra,  
 Atque ancillarum cœtibus associa.



# Honras a la Mageftad

## AD EANDEM AVGVSTAM.

**D**A tumulo afsiduos Hispana potentia fletus,  
Atque pias lachrymis triftibus adde preces:  
Et mœfta infenfis pia pectora concute palmis,  
Personet orbata planctus in Hesperia.  
Heu quàm grande malum! quàm non vitabile fulmen  
Æthereo in noſtrum venit ab axe caput!  
Heu qualis pietas inimicis obruta fatiſ!  
Heu quanta Auſtriaca pars labefacta domus!  
Grandis erat, fateor, ſed adhuc erat vtilis ætas,  
Conſilio nempè, vt tempore, grandis erat:  
Tarda licèt lento properarint tempora lapſu,  
Venerunt celeri, heu, nimis aſtra gradu.  
Quòq; magis matura ſibi, cœloque, Deoque,  
Hoc mors humanis rebus acerba magis.

## AD EANDEM.

**A**Vguſti ſoboles, Auſtuſtum naçta maritum,  
Auſtuſti genitrix, tum quoque digna nurus.  
Et ſuper Auſtuſtos ipſa Auſtuſtiſſima, cuius  
Sedit in Auſtuſto pectore relligio.  
Sed magis Auſtuſtum, licet hoc, Auſtuſta, fateri,  
Quod ſcio placatis auribus accipies.  
Sede quòd Auſtuſta, titulisque ſponte relictis,  
Legiſti anguſtos religioſa lares.  
Quò magis anguſtam vitam, tacitamque profeſſa es,  
Hoc magis Auſtuſtum eſt naçta, Maria, decus.

AD

## AD EANDEM.

ET Tagus, & Ganges, & qui Germanicus alto  
Ister in Austriacas labitur amne plagas.

Et qui precipiti, & vasto Paraguaius amne  
Uoluit in Occiduas nobile murmur aquas.

Belgicus, & Schaldis, tum qui sua cornua diues  
Mole trahens vasta labitur Eridanus.

Qui rigat Eoos ingente volumine tractus,  
Inq; suis gemmas fluctibus Indus alit.

Quiq; metalliferas longo terit agmine venas,  
Inq; Hispanas suas commodas fundit opes.

Te lugent fluuij, cui mors pro nomine tanto  
Immatura fuit, tarda sit illa licet.

Tanta licet saxis exudent flumina ripis,  
Littora præ lachrymis sunt tamen arcta pijs.

CARMEN ENDECA-  
syllabum.

Loquar? an fileam doloris imi  
Lingentes gemitus? Maria tandem

Augusta est oculis negata nostris,

Sublata Imperio. Fleas Apollo,

Fleas Castalidum chorus sororum.

Tecum gaudia cuncta nostra, tecum

Portasti. O miseri, quibus relictus

Est



# Honras a la Magestad

Est tantum gemitus, relictus horror,  
Relictæ exuuiæ sepulchri, & omnes  
Causæ luctibus! O manus cruentæ  
Parcarum! Lache sis nefanda iura!  
Iacet sordibus orbis, & minatur  
Infandum exitium, feros dolores.  
Est vnus dolor omnibus, dolendi  
Causa est omnibus vna, nec querelis  
Modus. Nobilitas iacet, perempta  
Illa nobilium parente magna.  
Iacent regia sceptrâ, nec corona  
Vlla est splendida, dignitate quando  
Principum cecidit, parensq; Regum.  
Iacet (quod miserum) misella turba  
Egentum, quibus est negata vita,  
Quos illa est opibus suis leuare  
Iam dudum solita. O feri dolorum  
Luctus! o gemitus! Fleas Apollo,  
Fleas Castalidum chorus sororum.

FINIS.

---

## ERRATA.

FOL. 19. pa. 1. lin. 6. loquar, loquor, & pag. 2. lin. 10. itantum. id tantum.  
fo. 78. pag. 1. lin. 6. saperam, superum. fo. 80. pa. 2. lin. 7. peritura, pe-  
ritura. fo. 99. pag. 2. lin. 16. Cæsaris, Cæsareis. fo. 100. pa. 2. lin. 3. red-  
detur, redditur. fo. 101. pa. 1. lin. 24. pono, repono. fo. 125. pa. 1. lin. 16.  
calore, color. fo. 126. pa. 1. lin. 5. instat, instar. 33. 1. 21. ludrica, ludicra.

*El Licenciado Francisco  
Murciade la Llana.*







*Ex libris*  
*M. de la Portilla*











1081303



